Factus mala fidei possessor per litem contestatam, tenetur de percepto, & de percipiendis: & vitium ejus transit in heredem. Salic.

2. Impp. VALENT. & VALENS AA. Olybrio P. P.

LItigator [1] victus, qui post conventionem rei incumbit [2] alienæ, non in sola rei redhibitione teneatur, nec tantum fructuum præstationem eorum, quos ipse percepit, agnoscat: sed [etiam] eos, quos [3] percipere potuisset, non quos eum redegisse constat, exolvat, ex eo [tempore] ex quo re in judicium deducta, scientiam [4] malæ fidei possessionis accepit. Heredis [5] quoque succedentis in vitium par habenda fortuna est. Dat. 7. Kal. Maji, *Trev.* VALENT. N. P. & VICTORE CONSS. 369.

3. Impp. HONOR. & THEOD. AA. Asclepiodoto P. P.

TErminato [6] transactoque negotio, posthac nulli actio, neque ex rescripto super sumptuum petitione [7] præstetur, nisi [8] Judex, qui de principali negotio sententiam promulgavit, cominus partibus constitutis, juridica pronunciatione significaverit *victori causæ restitui debere expensas, aut super his querelam jure competere.* Post [9] absolutum enim dimissumque judicium, nefas est litem alteram consurgere ex litis primæ materia. Dat. 3. Kal. April. *Constantinop.* ASCLEPIODOTO & MARINIANO CONSS. 423.

Contra actorem non prosequentem, vel defendentem, vel perdentem profertur sententia calumniæ, damnorum, & expensarum. Bart.

4. Imppp. VALENT. THEOD. & ARCAD. AAA. Edictum ad populum.

NOn ignoret is, cujus ex interpellatione aliquis secundum datam formam in longinqua protractus fuerit examina, quod si culpa sua fuerit dilata cognitio, vel minime actioni suæ adfuerit, vel delata [non] probaverit: pro calumnia quidem pœnam luat legibus constitutam, pro pecuniaria [10] vero causa, post [11] sumptus consideratæ quantitate postulatorum, vel mediis itineris intervallo, condemnationem pro æstimatione judicis sustinebit. Dat. 5. Id. Novemb. *Constantinop.* VALENT. A. VII. & AVIENO CONSS. 452.

5. Imp. ZENO [12].

COnstitutio [13] præcipit, ut quivis Judex in sententia sua jubeat victum [14] factos in judicio sumptus præstare. Habet & potestatem Judex transcendendi sumptum ad decimam usque partem eorum, quæ impensa sunt, si eum ad hoc partis ejus, quæ sumptum profudit, impudentia permoverit: ita ut ea, quæ impensas excedunt, ad fiscales rationes pertineant, nisi forte Judex detrimentum partis victricis farcire volens, partem aliquam horum ei adfignet. Neque tantum actor atque reus (in expensas) condemnantur, quum judex utrique competens est; verum etiam quum non est judex actoris competens: qui tamen ex reconventione victus sit, nec eum judicem recusare possit: sive adeo Præsides, sive dati a principe arbitri, judices fuerint. Nam & hi suos executores [15] atque compulsores habent. Quod si judex hoc non fecerit, ipse parti victrici damnum illud compensare cogitur. §. 1. Si quis vero conventus bona fide solverit, aut actor lite destiterit, aut etiam judex inveniat eum non calumniatorem, sed de re dubia litigantem: hic evitabit impensarum condemnationem. §. 2. Manifestum est autem, quod in judicibus pedaneis Præses [seu magistratus] est, qui debet eis assignare officialem [seu apparitorem] hæc tractantem [seu dirigentem]. Dat. 7. Kal. April. post consulatum Longini.

Privilegium concessum super litis expensis in totum, vel in parte non agnoscendis, extenditur ad adversarium propter æqualitatem servandam in judiciis.

6. Imp. ANASTASIUS A. Stephano Magistro militum.

CUm quidam per [16] leges sacrasque constitutiones, alii per speciales largitates sibi præstita privilegia prætendunt, tam super sportulis [17] pro conventionibus usque ad certam quantitatem præbendis, quam super expensis litium, vel minuendis, vel penitus non agnoscendis: per hanc legem decernimus, at quicunque hujusmodi privilegio munitus est, vel postea talem prærogativam quolibet modo meruerit, sciat, & si quos ipse, utpote obnoxios sibi pro quacunque criminali, vel civili causa constitutos, in accusationem deduxerit; hos nihilominus iisdem [18] privilegiis potitures: quoniam non [19] est ferendum, eos, qui præfatas prærogativas (ut [jam] ante latum est) prætendunt, aliquid plus ab adversariis suis quærere concedi, quam ipsi ab aliis pulsati facere patiuntur: ita scilicet, ut hæc quidem forma modis omnibus observetur super privilegiis per liberalitates, vel generaliter quibusdam officiis, aut scholis, seu dignitatibus, vel specialiter certis personis præstitis, vel postea præbendis; sive hoc ipsum expressim principalibus dispositionibus, vel assatibus insertum, sive prætermissum sit, vel fuerit.

TIT. LII.

DE RE JUDICATA [20].

Rebus judicatis parcetur, nisi petatur quod jam habetur. Salic.

1. Imp. ANTONINUS A. Stellatori.

REbus quidem judicatis standum [21] est. Sed si probare poteris eum, cui condemnatus es, id, quod furto amissile videbatur, recepisse [22]: adversus judicati agentem, doli exceptione opposita tueri te poteris. 12. Kal. Mart. ANTON. A. IV. & BALBINO CONSS.

Propter calculum male summatum, non debet sententia rescindi, quæ transivit in rem judicatam. Paul. de Castr.

2. Idem A. Pacatiano.

REs judicatæ si sub prætextu *Computationis* [23] instaurentur, nullus erit litium [24] finis. PP. Prid. Non. * *Romæ*, LÆTO, & CEREALE CONSS. 216.

3. Idem A. Demetrio, & aliis.

SI pecuniam, quam mala ratione intercepisse vos apparuerit, justis litis inferre cum [25] pœna, & comperto præcepto Præsidis non [26] provocaveritis: universam quantitatem debetis inferre.

Propter instrumenta de novo reperta, non retractatur sententia jam lata. Bald.

4. Imp. GORDIANUS A. Antonino.

SUb specie [27] *novorum instrumentorum* postea repertorum, res judicatas restaurari [28], exemplo grave est. Dat. 8. Id. Mart.

Qui petit dilationem ad solvendum, dicitur sententiam approbare, & appellationi renunciare. Salic.

5. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Valentino.

AD [29] solutionem *dilationem* [30] petentem acquievisse sententiæ manifeste probatur: sicut eum, qui quolibet modo sententiæ acquieverit. Nec enim instaurari finita, rerum judicatarum patitur auctoritas.

Acta judicii semel publicata faciunt perpetuam fidem etiam mortuo, vel remoto judice, qui de causa cognovit. Paul. de Castr.

6. Impp. HONOR. & THEODOS. AA. Juliano Proconsuli Africæ.

GEsta [31], quæ sunt translata in publica monumenta, habere volumus perpetuam firmitatem. Neque enim morte [32] cognitoris perire debet publica fides. Dat. 3. Kal. Sept. *Romæ*, CONSTANTIO, & CONSTANTE CONSS. 414.

TIT. LIII.

DE EXECUTIONE [33] REI JUDICATÆ.

Ab executione non est inchoandum: sed primo debet de causa cognosci, & per definitivam sententiam terminari.

1. Impp. SEVER. & ANTONINUS AA. Justino.

NImis propere Judex *Pignora Marcellæ capi, ac distrahi justit* ante [34] rem judicatam. Prius est ergo, ut servato ordine, actionem adversus eam dirigas, & causa cognita sententiam accipias. PP. 3. Kal. Febr. ALBINO, & ÆMILIANO CONSS. 207.

Sententia tunc habet executionem paratam, quando non fuit per stipulationem novata: aliàs non potuit executio sententiæ, quæ sublata est per novationem, sed agitur ex stipulatione novantis ordinaria via.

2. Idem AA. Agrippæ.

SI causam judicati non novasti [35], rem judicatam Præses provinciæ etiam *Pignoribus* [36] captis [37] ac distractis ad emolumentum peducti jubebit. Quod si novata causa est, ex stipulatu tibi actio competit: & Judice accepto secundum juris formam experire.

1 Malæ fidei possessor non rem tantum redhibet & fructus quos percepit: sed etiam eos quos percipere potuisset lite contestata. Aliud in hereditatis petitione, in qua fructus etiam ante litis contestationem percepti deducuntur. Quin si relicto herede moritur, etiam ab herede, qui in ejus vitium succedit, fit repetitio eorundem fructuum. *Synopf. Basil. 9. tit. 3. περὶ κακοπίστ. cap. 66.* 2 *Incubarit, l. 1. Cod. Theod. h. t.* quæ vox malæ fidei possessionis index, dixi *l. ult. supr. ne rei dominica vel templorum.* 3 *l. 22. §. de rei vindic. l. 10. ff. de usur.* §. 2. *in fin. Inst. de offic. jud.* Goth. Adde *l. 62. §. 1. ff. de rei vindicat.* S. L. 4 *d. l. 22.* vid. *l. 25. §. 7. ff. de hered. pet.* 5 Heres possessoris tenetur de fructibus. *l. 2. Cod. Theod. h. t.* 6 Post sententiam definitivam de sumptibus litis non agitur, nisi judex sumptuum taxationem reservaverit. 7 Repetitione, *d. l. 2.* 8 Expensæ ante litem contestatam & post finitæ, officio judicis petuntur. *ut hic, Gloss. & Doctores in c. finem. extr. de dolo.* nisi promittatur in instrumento fuerint: hoc enim casu jure actionis peti possunt, etiam post sententiam in principali litem. *l. 3. §. 2. ff. de legat. 3.* Item nisi statuto debeantur: tunc enim conditione ex statuto peti possunt. Bart. *in d. l. 3.* Socinus *reg. 140.* Idem si nihil sit quod actori imputetur, ob expensas non petitas. *Antiqua.* 15. tibi Accurt. *ff. de rei vind.* Idem in sententia interlocutoria, aut si judex sententiam supplere velit. Idem & in specie *l. eum. 5. §. Julian. 3. ff. de constit. pecun.* 9 *l. 10. supr. de transact.*

10 *Post pecuniaria dispendia, post sumptus*; sic enim ex veteribus, ut Novella Martiani, & prima omnium editione Moguntina hic locus restituendus est, & ex Basilicis in quibus hæc duo leguntur, *τὰ διαπάνματα καὶ τὰ ξημιώματα.* vid. Cujac. *hic.* 11 *l. 13. §. 6. l. 15. 3. & l. 79. ff. de judiciis.* §. 1. *verf. hæc autem omnia. Inst. de pœna temer. litig.* 12 Cujacius hanc legem restituit, 12. *observ.* 21. fumpta ex 9. *Synopseos Basil.* 3. *cap.* 70. 13 Interpretatio Leunclavii. 14 *l. ult. 3. quando provoc. non est necesse.* & §. 1. *verf. hæc autem. Inst. de pœna temere litigant.* 15 Ἐκβάτορες καὶ ἐπίτακτοι. *d. c.* 70. 16 Privilegia super sportulis judiciariis, lege, vel beneficio principis concedi possunt. 17 Adde *l. 12. instr. de præs. fasr. scrin.* 18 Victus victori condemnatur in expensas quas fecit, non in eas quæ privilegio remittuntur aliquo.

19 Ad æquitatem videlicet servandam, ut quod uni privilegio remittitur, idem alteri remittatur. *ff. quod quisque jur. l. 1. in fin. ff. de constit. l. 81. ff. pro socio.*

20 Dixi ad *L. 42. D. 1.* adde 4. *Cod. Theod. 15. & 9. Synopf. Basil. 3. c. 70.*

21 Statur rebus judicatis. 22 Victor a reo frustra postulat quod ipse jam habet.

23 Computationis prætextu sententia non rescindatur. *l. un. supr. de errore calculi.* vide quæ notavi ad *l. 1. §. 1. ff. quæ sentent. sine appellat.*

24 Fines litium esse oportet.

25 Potest quis ad rem & pœnam condemnari. 26 Tenet sententia, a qua non est appellatum. vide *l. 1. infr. de his qui per met. jud. non appellatur.* 27 Sententia propter instrumenta de novo reperta non retractatur. *l. 27. in fin. ff. de excepti. rei jud. l. 35. ff. hoc tit. Synopsis Basil. 8. tit. 1. ex lib. 9. tit. 3. cap. 74. & 1. Harmenop. 3. 16.* 28 fallit in fisco (seu republica, minore, furioso, prodigo, libertate, spiritualibus, & Ecclesia, criminalibus, arbitratorum caufis, quoties sententia lata est ex fubfidiariis probationibus, puta, juramento ex *l. admonendi. 31. ff. de jurefur.* fallit quoque, si quis ante sententiam, adhibita omni diligentia, instrumentum recuperare non potuit: fallit præterea, quoties instrumentum alterius sententiæ est. *l. post sententiam. 9. ff. de sententiis.* Idem si instrumentum sic reperto, constabit sententiam latam ex falsis instrumentis vel probationibus esse. *l. penult. 8. de transact. l. pen. ff. de cass. inst.* Fallit quoque in sententia condemnatoria: ut si fi testamentum repertum est. Gloss. in l. 1. §. *ratio. ff. quemadmodum testam. l. fi mater. 13. ff. de excepti. rei judicata.* licet contrarium teneat in *l. 3. §. fi legatarius. 6. ff. si cui plus quam per legem Falcidiam.* vid. Socin. *reg. 361.* Ita ex caufis restitutio datur adversus rem judicatam ob instrumenta de novo reperta. vide Sfortiam Oddum 2. *de rest. quæst. 75.* 28 Ἀκατάσχετα. *Synopf. Basil. 8. ex l. 9. tit. 3. c. 75.* Harm. 2. §. 35. 29 *Synopsis Basiliccon d. tit. 3. c. 76.* 1. Harm. 3. §. 93.

30 Dilationem folvendi qui petit, facile fortem debiti fatetur, & sententiæ adquiescit. Silentio sententia adprobatur. vid. *l. 5. supr. de arbitris. l. 40. ff. de pactis.*

31 Si post condemnationem reus moras nectet, & corpora, id est, mancipia & animalia, in condemnatione posita, rebus humanis eximi contingat, æstimationem eorum præstare cogitur, *ut hic. Synopf. Basil. 1. tit. 17. ex lib. 9. tit. 3. c. 84. & lib. 16. tit. 1. c. 56.*

15 Si hereditate mortui insolente, servus mortuus fuerit, cujus usus relictus est, in id quod interest condemnatur a tempore moræ, ad mortem usque servi: in id quod interest, id est, quanti interest ejus, cui usus relictus fuit, servum habere. Fortasse enim ex affectione in illum, qui usum servi habere debuit, servo quis legatum reliquit, & propter moram legatum periit. *Synopf. Basil. 7. tit. 16. ex lib. 12. tit. 1. c. 36. & ib. Scholiastes.*

16 Mortua specie debita, fit in æstimationem rei executio. Bald. *l. 68. ff. de res vind. l. 8. ff. de re judic.* 17 Condemnatus, fi moram committit, interitum & accessiones rei præstat. *l. 2. 3. de fructibus & lit. expenf.* Exinde litis contestatæ veniunt fructus.

18 Executor rei judicatæ quis? adde *l. 6. 8. 11. l. 4. ff. de appell.* Eli vero ἐκδίκους, seu exequutor, qui post sententiam adhibetur, ut quæ judicata sunt exequatur. *Synopf. Basil. 7. tit. 4. ex lib. 9. tit. 3. c. 85.* adde Theophilum 6. 24. *Inst. de act.* 19 Eoram qui debiti confessi sunt, pignora capi & distrahi possunt. Paul. 5. *sent. 5. §. 4.*

Si pignora capta in causam judicati non reperiunt emptorem, saltim subhastationibus dantur creditori in solutum. Paul. de Castr.

3. Idem AA. Agrippæ.

ORdo rei gestæ, & mora solutionis, quæ intercessit, constantius [1] desiderat remedium. Si itaque Præsidem provinciæ, qui rem judicatam exequi debet, adieris, & allegaveris res soli, quæ *Pignori* datæ [2] sunt, diu subhastatas [3], ex compacto [4], sive ambitione [5] diversæ partis emptorem non [6] invenire [potuisse], in possessionem earum te mittet, ut [vel] hoc remedio res tamdiu protracta ad effectum perducatur. Dat. 11. Kalend. Jul. MESSALA & SABINO CONSS. 215.

Publica stipendia non venduntur, nec in solutum adjudicantur, nisi in subsidium. Bald.

4. Idem AA. Marcello militi.

STipendia [7] retineri [8] propterea, quod condemnatus es, non patietur [9] Præses provinciæ: cum rem judicatam possit aliis rationibus exequi. PP. 3. Non. *

Nomen debitoris potest capi pignori in causam judicati. Bald.

5. Imp. GORDIANUS A. Amando.

ETiam *Nomen* [10] *debitoris* in causa judicati capi posse, ignotum non est. PP. 3. Id. Octob. ATTICO & PRÆTEXTATO CONSS. 243.

Merus executor non potest assumere partes judicis, & de justitia sententiæ cognoscere, vel pronunciare. Paul. de Castr.

6. Imp. PHILIPPUS A. & C. Titiano.

SI (ut proponis) rerum judicatarum *Executor* [11] datus partes [sibi] Judicis vindicavit [12], & contra ea, quæ pridem pro partibus tuis fuerunt statuta, aliquid pronunciandum putavit: sententia ab eo dicta vim rei judicatæ obtinere nequaquam potest [13].

Condemnatus si moram committat, tenetur de interitu, & accessionibus. Salic.

7. Impp. DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS AA. Theodoro.

SI [14] longis apertisque fustrationibus partis adversæ restitutio remorata est, etiam servis [15] rebus humanis exemptis [16]: a fustratore æstimatio eorum restituenda est. Animalia quoque cum fœtibus [17] tibi intercessu Præsidis repræsentabuntur.

Executor est ille, qui sententiam vite latam ad effectum perducit. Paul. de Castr.

8. Idem AA. & CC. Nicomacho.

E*Xecutorem* [18] eum solum esse manifestum est, qui post sententiam inter partes audita omni & discussa lite prolatam, rei judicatæ vigorem ad effectum videtur adducere. Sine die & consule.

Tunc est petenda executio, quando reus confessus est: vel si negavit, cum est convictus, & condemnatus. Paul. de Castr.

9. Idem AA. & CC. Glyconi.

EOs, quos debitores tuos esse contendis, apud Rectorem conveni provinciæ: qui sive debitum confessi [19], sive negantes & convicti fuerint condemnati, nec intra statutum [20] spatium solutioni satisfecerint: cum latæ sententiæ pignoribus [21] etiam captis, ac distractis, secundum ea, quæ sæpe constituta sunt, meruerint executionem, juris formam tibi cuitodiet. S. Non. Novembr. CC. CONSS.

TIT. LIV.

DE USURIS [22] REI JUDICATÆ.

Mora solutionis post sententiam, & quadrimestre tempus parit effectum usuræ centesimæ. Bald.

1. Imp. ANTONINUS A. Procuratoribus hereditatum [23].

IS, qui bona secundum dictam sententiam profequitur: eas quoque rationes habiturus est, ut qui post legitimum tempus placitis non obtemperavit, usuram centesimam [24] temporis, quod postea fluxerit, solvat.

1 Id est, promptius. 2 *Capta* quidam etiam legunt. 3 Subhastationem in rebus absentis distrahendis semper exigi hinc colligunt. vid. *l. 16. supr. de reiend.*

4 Compactum, Graci κακοτεχνίαν, calliditatem, vid. *l. 3. §. fi in causa judicati.*

5 Ambitio, amicorum copia, non πεφήμισις, ut putat Theodorus. 6 Emptore pignoris non invento, pignus addicitur creditori. *l. 3. §. 2. ff. de jure dominii imper.*

7 Stipendia & annonæ militum judicati causa capi non possunt. 52. *Etolog. 3. c. 81.* nisi deficientibus aliis bonis in subsidium, *ut hic.* Quod præmia athletarum ? possint capi. *l. 40. ff. de re judic.* Quid annonæ clericorum ? (præbendas & fructus beneficiorum vocant) capi possint: nam & inter Græcos Theodorus hanc legem specialiter intelligit de militibus armatæ militiæ. dixi ad *Novell. 53. c. 3. in fin.* vide Rip. ad *l. 6. 7. 8. 9. ff. de pign. num.* 43. Quid mercedes diurni laboris ? vide Ripensem *d. loco.* 8 An pignorari ? dixi *d. c. 3.* adde Ripenf. ad *l. 6. 7. 8. 9. ff. de pign. n.* 43. 9 Ne stipendiis abiatis militiam milites deserant, & utilitas publica communisque salus privati creditoris unius ergo detrimentum capiat. 10 Nomina debitoris in subsidium, judicati nomine, capi possunt: in subsidium, quoties deficiunt res corporales. vid. *l. 15. §. 2. §. 8. ff. de re judicata.* 11 Executoris officium hoc est, ut exigat, capiat, distrahat, audiatur: non etiam, ut judicet, aut judicatum retractet, vel interpretetur, *l. pen. 3. h. t.* cogitur etiam reddere rationem. Roland. a Valle *cons.* 49. 12 Vide *l. 20. ff. de jurisdict.*

13 Ideoque ab eo appellari non solet. *l. 4. ff. de appell.* sed simpliciter reclamare contestatione five invocatione superioris facta sufficit. vide Oldend. *cap. 59. de except.*

14 Si post condemnationem reus moras nectet, & corpora, id est, mancipia & animalia, in condemnatione posita, rebus humanis eximi contingat, æstimationem eorum præstare cogitur, *ut hic. Synopf. Basil. 1. tit. 17. ex lib. 9. tit. 3. c. 84. & lib. 16. tit. 1. c. 56.*

15 Si hereditate mortui insolente, servus mortuus fuerit, cujus usus relictus est, in id quod interest condemnatur a tempore moræ, ad mortem usque servi: in id quod interest, id est, quanti interest ejus, cui usus relictus fuit, servum habere. Fortasse enim ex affectione in illum, qui usum servi habere debuit, servo quis legatum reliquit, & propter moram legatum periit. *Synopf. Basil. 7. tit. 16. ex lib. 12. tit. 1. c. 36. & ib. Scholiastes.*

16 Mortua specie debita, fit in æstimationem rei executio. Bald. *l. 68. ff. de res vind. l. 8. ff. de re judic.* 17 Condemnatus, fi moram committit, interitum & accessiones rei præstat. *l. 2. 3. de fructibus & lit. expenf.* Exinde litis contestatæ veniunt fructus.

18 Executor rei judicatæ quis ? adde *l. 6. 8. 11. l. 4. ff. de appell.* Eli vero ἐκδίκους, seu exequutor, qui post sententiam adhibetur, ut quæ judicata sunt exequatur. *Synopf. Basil. 7. tit. 4. ex lib. 9. tit. 3. c. 85.* adde Theophilum 6. 24. *Inst. de act.* 19 Eoram qui debiti confessi sunt, pignora capi & distrahi possunt. Paul. 5. *sent. 5. §. 4.*

20 Quatuor mensium. *l. 2. ff. tit. proxim.* olim 30. dierum ex legibus 12. tabularum, dixi ad *l. 12. tabul. lib. 2. tit. 20. §. 2.* 21 *l. 2. supr. h. t. l. 31. in fin. ff. de re judic.*

22 *L. 4. C. Th. 17.* de centesimis, vide *l. 2. 3. h. t.* De usu hujus tituli vid. Grœnewegg. & Christin. *decis. 106. num. 4.* Sande *decis. Frisic. lib. 3. tit. 14. decis. 10. 11.* Neothal. *de vi. Senat. Holland. 38. Ant. Fab. ad Cod. lib. 7. tit. 18. defin. 7.* Anf. 23 *Hereditatum fisci.* Comitus *c. horedum.* Hvloand. 24 Moratur judicati debitor? poft quadrimestre tempus præstat usuras centesimas. *l. 2. in fin. h. t.* 25 Quod & *legitimum tempus, l. 1. §. 6. l. penultimum fpatium, l. ultim. 3. tit. prox. quadrimestres inducta, l. ult. §. 1.* Aliud olim tempus fuit. dixi ad *l. 12. tabularum lib. 2. tit. 20. §. 2.* adde Forner. 2. *felect. 15. ubi agit de tempore judicatis faciendis.* 26 Numerandos a lata sententia, vel fi appellatio fubducta fit, a sententia judicio appellationis confirmata. Vide Harmenopulum & ibi Scholiastem 1. *tit. 4. §. 88. 89. & 88. 86.* 27 Dies condemnationis 28 Dies confirmationis sententiæ. 29 *l. 1. §. h. t. l. 64. in fin. ff. de re judic. l. 24. ff. de appellat. l. 41. ff. de usuris.* 30 Aboletur hinc ten duplex centesima usura, quæ olim obtinuit, *ut hic. l. un. C. Theod. eod.* Hodie itaque duplices centesimas condemnati non præstant. Molinæus *de usuris num. 42. 44.* abolentur quoque semisses. *l. 26. §. 1. ver. ceterum. de usuris.* 31 *d. verf. ceterum.* 32 Ultra res judicatæ, fortis est tantum, non usurarum, quæ in condemnationem deducta sunt. Anatocismus etiam five fiat stipulatione, five judicato, prohibitus est. *l. unic. C. Theod. eod.* Usurarum usuræ non debentur, etiamsi in fortem redigantur, id est, etiamsi fiat anatocismus & ita abrogatur *dict. lex unic. C. Th. eod.* 33 *l. 28. §. de usuris.* 34 Centesima. 35 Observa sententiam, adde *l. 13. §. de usuris, l. 4. §. depositi, l. 49. in fin. ff. de act. empt.*

36 Judicati actio novat contractum. 37 Συναφέσεται, vide quæ notavi ad *l. 36. ff. de adilitio.* 38 Fidejussor olim tenebatur & exigi statim poterat, licet reo data erat, vel effet dilatio, quæ res pellimi exempli fuit. adde *l. 27. §. 1. ff. de pactis. l. 21. §. 5. ff. de recept. qui arbitr. Martil. tract. de fidejuffor. tit. 1. Quare fcato.* 39 Tempus quadrimestre quod datur reis principalibus, datur & eorum fidejussoribus, *ut hic. Synopf. Basil. 7. tit. 17. ex lib. 9. tit. 3. cap. 8. 9.* 40 Fidejussori prodest dilatio, quæ reo principali concessa est. 41 Adde *l. 31. ff. de re judicat.*

42 Singuli pro virili portione tenentur. *l. 1. h. t.* 43 Plures simpliciter condemnati, censentur in partes æquales damnati, nisi fit aliud expressum. Judicato non fiunt duo rei, nisi hoc nominatim expressum fuerit. *l. 39. in fin. ff. de jure fisci.* 44 *l. 2. l. h. t. l. 43. ff. de re judic. l. 10. §. 3. c. 85.* adde Theophilum 6. *Inst. de act.* 45 Sententia adversus plures tutores data, in viriles intelligitur divisa. 46 Vid. *l. 1. supr. h. t.*

TIT. LVI.
QUIBUS [1] RES JUDICATA NON NOCET.

Licet sententia sit lata contra conjunctam personam, non propterea præjudicat non mandanti, neque ratum habenti. Salic.

1. Imp. ALEXANDER A. Masculino.

SI neque mandasti [2] fratri tuo defensionem rei tuæ, neque quod gestum est, ratum habuisti: præscriptio rei judicatæ tibi non oberit. Et ideo non prohiberis causam tuam agere sine præjudicio rerum judicatarum. PP. Non. Maji, ALEXAND. A. CONS.

Sententia super jure tertii lata, non patrocinatur, neque nocet alteri. Bald.

2. Imp. GORDIANUS A. Athemio.

REs inter [3] *alios judicatæ, neque emolumentum afferre bis, qui judicio non interfuerunt, neque præjudicium* [4] *solent irrogare:* Ideo nepti tuæ præjudicare non potest, quod adversus *coheredes* ejus judicatum est, si [5] nihil adversus ipsam statutum est.

Sententia in criminali cum uno lata, non præjudicat alii. Bald.

3. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Honorato.

JUris manifestissimi est, & in accusationibus [6], his qui congressi [in] judicio non sunt, officere non posse, si quid forte præjudicii videatur oblatum.

Non exemplis, sed legibus est judicandum.

4. Iidem AA. & CC. Soteriano.

NEc [7] in *simili* [8] negotio res inter [9] alios actas absenti præjudicare, sæpe constitutum est. Dat. *Sirmii*, 6. Kal. Decembr. C. CONS.

TIT. LVII.
COMMINATIONES [10], EPISTOLAS [11], PROGRAMMATA [12], SUBSCRIPTIONES [13] AUCTORITATEM REI JUDICATÆ NON HABERE.

Comminationes.

1. Imp. ANTONINUS A. Rogatiano.

NEc vim stipulationis obtinere potest comminatio [14] Judicis, qui *Certas* [15] *usuras præstituros eos* dixit, qui intra certum diem debitum non exolvissent. Prid. Id. Januar. ANTON. A. IV. & BALBINO CONSS. 214.

Epistola.

2. Imp. ALEXANDER A. Maximo.

REi judicatæ effectum non habet, quod per epistolam [16] Rector provinciæ solvere vos pecuniam Reipublicæ jussit. 4. Id. Mart. MAXIM. II. & ÆLIANO CONSS. 224.

Subscriptiones.

3. Idem A. Zotico.

EA, quæ causa cognita statuuntur, subscriptionibus [17] revocari non posse, sæpe rescriptum est. PP. 6. Id. Septembr. ALBINO, & MAXIMO CONSS. 228.

Verbum judicis indistincte prolatum, necessitatem non importat, etiam scriptum in actu. Bald.

4. Imp. GORDIANUS A. Asclepiodoto.

INterlocutio [18] Præsidis apud acta signata, [*ut*] *nisi solutioni debiti* [19] *is, qui convenitur, obsequium præstitisset, datium seu quadruplum inferat:* voluntas potius comminantis [20], quam sententia judicantis est: cum placitum hujusmodi, ne rei judicatæ auctoritatem obtineat, juris ratio declaret.

Fulminatio judicis statim libellum exaquentis non habet auctoritatem rei judicatæ. Salic.

5. Idem A. Jucundo.

JUdex, qui disceptationi locum dederat, partium allegationes audire & examinare debuit: nam subscriptionem [21] ad libellum datam talem, quæ diversam partem in possessionem fundi mitteret, vicem rei judicatæ non obtinere non ambigitur. PP. 12. Kal. Febr. GORDIANO A. V. & POMPEIANO CONSS. 242.

Programma, Comminatio.

6. Imp. PHILIPPUS A. & PHILIPPUS C. Cassiano.

PRogramma, si quod a Præside provinciæ propositum est, vim rei judicatæ nequaquam obtinere potest: nec comminationem [22] vim rei judicatæ obtinere manifestum est.

Descriptum temere.

7. Imp. CONSTANTINUS A. ad Bassum P. P.

QUod magno conflictu sententia decerni solet, id paucis litteris temere [23] descriptis definiri fas non est. Dat. 15. Kal. April. CONSTANT. A. VI. & MAXIM. CONSS. 306.

TIT. LVIII.
SI EX FALSIS [24] INSTRUMENTIS, VEL TESTIMONIIS [25] JUDICATUM SIT.

Retractatur *causa, si judicatum dicatur ex f. in. v. t. b. l. & l. 3. in pr. inf.*

1. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. ad Bassianum.

SI [26] tabulas testamenti, quas secutus Proconsul Vir Clarissimus sententiam dixit, falsas dicere vis, præbebit notionem suam non obstante præscriptione rei judicatæ, quia nondum [27] de falso quæsitum est.

Rescindi, & si non provocatum sit.

2. Imp. ALEXANDER A. Optato.

ET qui non [28] provocaverunt, si instrumentis falsis se victos esse probare possunt, cum de crimine docuerint, ex integro [29] de causa audiuntur. PP. 16. Kal. Octobr. JULIANO II. & CRISPINO CONSS. 225.

Sententia lata prætextu falsarum attestationum rescinditur, dummodo probetur, judex illis fuisse usus. Bald.

3. Idem A. Clementi.

FAlsam [30] quidem testationem [31], qua diversa pars in judicio adversus te usa est, ut proponis, folito more arguere non prohiberis; sed causa judicati in irritum non devocatur, nisi probare poteris, eum, qui judicaverat, secutum ejus instrumenti fidem, quod falsum esse constiterit, adversus te pronunciasse. PP. 7. Kal. Septembr.

4. Imp. GORDIANUS A. Herennio.

JUdicati executio solet suspendi [32], & soluti dari repetitio, si falsis instrumentis [33] circumventam esse religionem judicantis, crimine postea falsi illato, manifestis probationibus fuerit ostensum. PP. 5. Idib. Septemb.

TIT. LIX.
DE CONFESSIS [34].

Pro Judicatis *habentur confessi.*

1. Imp. ANTONINUS A. Juliano.

CONfessos *in jure pro* [35] *judicatis haberi* placet. Quare sine [36] causa desideras recedi [37] a confessione tua, cum & solvere cogeris. Accept. 3. Kal. Octobr. GENTIANO & BASSO CONSS. 212.

TIT. LX.
INTER ALIOS [38] ACTA [39], VEL [40] JUDICATA, ALIIS NON [41] NOCERE.

Solutio.

1. Impp. DIOCLET. & MAXIM, AA. & CC. Epicrati.

INter [42] *alios res gestas aliis non posse præjudicium facere* sæpe constitutum est. Unde, licet quosdam de heredibus ejus, quem debitum tuum fuisse significas, solvisse [1] commemores: tamen cæteri non alias ad solutionem urgentur, nisi debitum probatum fuerit. 5. Kal. April. *Byzantio*, AA. CONSS.

Transactio cum uno facta, alteri non præjudicat, & qui rem quam donavit, postea cum alio dividit in præjudicium donatarii, nihil agit. *Sal.*

2. Iidem AA. & CC. Epicrati.

INter *alios factam transactionem* [2] *absenti non posse facere præjudicium* notissimi juris est. Quapropter, adito Præside Provinciæ, aviam tuam mancipium tibi donasse proba: ac si hoc jure ad te pertinere perspexerit, restitui tibi providebit. Neque enim si te absente divisionem [3] ejus fecerunt [4], aliquid juri tuo derogari potuit. S. Idib. Aprilis.

Pactio *cum debitoribus hereditariis.*

3. Iidem AA. & CC. Fortunatæ.

SI cum fratre tuo matri successisti: fratre pro portione tua cum debitoribus hereditariis pacisscendo [5], vel agendo, non ex tua voluntate, pro hereditaria parte tibi quæsitam obligationem extinguere non potuit. 5. Idib. Octob. *Retiæ*, AA. CONSS.

TIT. LXI.
DE RELATIONIBUS [6].

Habens referre, pronunciare non potest. Bald.

1. Imp. CONSTANTINUS A. Profuturo PF. annonæ.

SI quis [7] judicum duxerit esse referendum, nihil [inter partes] pronunciet; sed magis super quo hæsitandum putaverit, nostram consulat scientiam, aut si [8] tulerit sententiam, minime postea, ne a se provocetur, relatione præmissa [9] terreat litigantes: sciens quod si hoc fecerit, nihilominus jure appellationis res agitabitur. Sed nec ad nos mittatur aliquid, quod plena [10] instructione indigeat. Quoties autem ad nostram scientiam Judex se pollicetur relaturum, consultationis exemplum [11] litigatoribus illico [12] edi apud acta jubeat: ut si cui forte relatio minus plena, vel contraria videatur, is refutatorias [13] preces similiter apud acta fine [14] aliqua fruttratoria dilatione offerat. Dat. 4. Kalend. Februar. *Sirmii*, CONSTANT. A. V. & LICINIO CONSS. 312.

IN AUTHENT. ut Judices non expect. sacras Jussiones. §. jubemus 1. col. 9. tit. 8. al. 4. Novell. 125. cap. 1.

NOvo *jure causa perfecte examinata, sententia terminetur: quæ executioni legitimæ demandatur, nisi ab ea fuerit appellatum.*

In causa criminali relatio est permissa.

2. Impp. VALENTINIANUS, & VALENS AA. ad Viventium P. P.

SUper [15] delictis provincialium nunquam Rectores provinciarum ad scientiam principum putent esse referendum, nisi ediderint prius consultationis exemplum: quippe tunc [16] demum relationibus plena veritas [17] est, cum vel allegationibus repelluntur [18], vel probantur assensu. Dat. 3. Kal. Jan. *Trev.* VALENTINIANO & VALENTE AA. CONSS. 365.

Pendente relatione, judicis officium conquiescit. Bald.

3. Iidem AA. & GRATIAN. A. ad Apodemium.

SI [19] quando ratio, aut necessitas est in negotiis nostra judicia requirendi, expectandique responsa, omnes [20] omnino causas relationis series comprehendat: ut recitata consultatione, quæ ita est dirigenda, propemodum actorum [21] recensione non [22] fit opus: actis etiam necessario focandis. Dat. 6. Id. Maji, *Trev.* VALENTINIANO NB. P. [23] & VICTORE CONSS. 369.

TIT. LXII.
DE APPELLATIONIBUS [24] ET [25] CONSULTATIONIBUS [26].

De possessione & vi.

1. Sententia Divi SEVERI A. data in persona Marci Prisci Idibus Januar. POMPEIANO & AVITO CONSS. [27] 210.

PRius [28] de possessione pronunciare, & ita crimen violentiæ excutere [29] Præses provinciæ debuit: quod cum non fecerit, [juste ab eo] provocatum est.

De rescriptis.

2. Imp. ALEXANDER A. Plautiano.

NOvum quod postulas, non est, quod etsi rescripti [30] mei auctoritas intercesserit, provocandi tamen facultas tibi non denegetur.

De effectu appellationis.

3. Imp. GORDIANUS A. Victori.

APpellatione [31] interposita, licet a [32] Judice repudiata sit, in præjudicium deliberationis nihil fieri debere, & in [33] eo statu omnia esse, quo tempore pronunciationis fuerunt, sæpissime constitutum est. PP. 4.*

De nominato ad Scribatum.

4. Impp. PHILIPPUS A. & PHILIPPUS C. Probo.

SI ad scribatum [34] nominatus [35] non provocasti, convelli statuta non possunt.

De Apostolis.

5. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Valenti, & aliis.

PRæses provinciæ, ad quem appellasti, si non vitio negligentiæ vestræ tempus, quod ad reddendos *Apostolos* [36] præscriptum est, exemptum esse animadverterit, sed ex fatalis casus necessitate diem [37] functo eo [38], qui eos perferebat, id accidisse cognoverit, juxta perpetui juris formam desiderio vestro medebitur.

De causa decidenda a Judice appellationis. 1. De allegationibus, & probationibus. 2. De sumptibus testibus evocatis præbendis. 3. De causa capitali. 4. De pœna temere litigantis. 5. Intra qua tempora appellandum sit. 6. De Apostolis.

6. Iidem AA. & CC. dicunt.

EOs, qui de appellationibus cognoscent, ac judicabunt, ita judicium suum præbere conveniet, ut intelligant, quod cum appellatio post decisam sententia litem interposita fuerit, non ex occasione aliqua remittere [39] negotium ad judicem suum fas sit, sed omnem causam propria sententia determinare conveniat: cum salubritas legis constitutæ ad id spectare videatur, ut post sententiam ab eo, qui de appellatione cognoscit, recursus fieri non possit ad judicem, a quo fuerit provocatum. Quapropter remittendi litigatores ad provincias, remotam occasionem atque exclusam penitus intelligant: cum super omni causa interpositam provocationem, vel [40] injustam tantum liceat pronunciare, vel justam. §. 1. Si quid autem in agendo negotio minus [41] se allegasse litigator crediderit, quod in judicio acto fuerit omissum, apud eum, qui de appellatione cognoscit, perfequatur: cum votum gerentibus nobis aliud nihil in judiciis, quam [42] justitiam locum habere debere, necessaria res forte transmissa non excludenda videatur. §. 2. Si quis autem post interpositam appellationem necessarias sibi putaverit esse personas, per quas apud Judicem, qui super appellatione cognoscet, veritatem possit ostendere, quam existimavit occultam, hocque fieri Judex perspexerit; sumptus [43] iisdem ad faciendi itineris expeditionem præbere debebit, cum id ipsa justitia perfuadeat ab eo hoc recognosci, qui evocandi personas fua interesse crediderit. §. 3. Super his vero, qui in capitalibus [44] causis constituti appellaverint: quos tamen & ipsos, vel qui pro his provocabunt, non [45] nisi audita omni causa atque discussa, post sententiam dictam appellare conveniet: id observandum esse sancimus, ut inpopulo [46] idonei fidejussoris, retentis in custodia reis, opiniones suas Judices, & exempla [47], ab appellatoribus edita, ac refutatorias [48] eorum ad scrinia, quorum interest, transmittant: quibus gestarum rerum fides manifesta relatione pandatur, ut meritis eorum confideratis, pro fortuna singulorum sententia proferatur. §. 4. Ne temere autem ac passim provocandi omnibus facultas præbeatur, arbitramur eum, qui malam litem fuerit persecutus, mediocriter pœnam [49] a competenti judice sustinere. §. 5. Sin autem in judicio propriam [50] quis fuerit causam persecutus, atque superatus voluerit provocare: eodem [51] die, vel altero [52] libellos appellatorios offerre debebit. Is vero, qui negotium tuetur alienum, supradicta conditione etiam tertio die provocabit.

1 Res inter alios judicata aliis non nocet. *l.* 2. ff. *h. t.* vid. *l.* 63. *ff. de re judicata.* 2 Etiamsi sententia contra conjunctam personam lata sit, non propterea mihi præjudicat, si non mandavi, vel ratum habui. 3 Inter alios res judicatæ nec emolumentum, nec damnum afferunt aliorum. Ideoque nec uno heredum condemnato, alteri præjudicatur. *Synopf. Basil. 7. tit. 3. c. 93.* 1. Harm. 4. § 32. *in fin. ds. l.* 63. vide *infr. inter alios acta. l.* 7. 14. 22. *& c.* 27. *ff. de except. rei judic. vid. l.* 14. *in fin. ff. de probat.* Exceptiones huius regulæ vide apud Acurt. *hic.* 4 *l. 1. ff. de except. rei judicatæ. l.* 2. *infr. de fide instrum.* 6 Id est, in causis criminalibus. *l.* 9. *infr. de accusat.* Etiam in criminibus ea, quæ inter alios judicata sunt, aliis non officiunt. *Synopsis ibid. c.* 94. adde *l.* 2. 7 Quæ in judicio sunt judicata, quamvis alius quispiam in eadem causam incideret, tamen in eo valere non debent. Nec enim absenti ex rebus judicatis præjudicium nasci debet. *Synopsis Basil. ibi c.* 95. 8 Exemplis non est judicandum, sed legibus. *l.* 13. *fupr. de sentent.* 9 *l.* 2. *fupr. h. t.* vide *infr. inter alias acta.*

10 *l.* 1. 4. *& c. in fin. ff. h. t.* 11 *l.* 2. *ff. h. t.* 12 *l.* 6. *ff. h. t.* 13 *l.* 3. *& c. ff. h. t.* 14 Comminatio judicis vim stipulationis habet, *ut hic, & l.* 4. *l.* 6. *ff. l.* 7. *ff. de sent.* Symmachus in epistolis: *Sententia sub commonitione deprompta, effectu atque executione vacuatur.* Species ita proponitur a Græcis: Judex cum condemnasset quendam, ut centum aureos præstaret, postea quasi minitas ait, Ni solveri intra certum diem usuras dimittæ, veluti centesimæ præstiturum. Hæc constitutio, neque sententiam neque stipulationem esse ait. *Synopf. Basil. 8. tit. 1. ex lib. 9. tit. 3. cap. 96.*

15 Verbi gratia, dimidias centesimæ. 16 Per epistolam sententia ferri non potest etiam in reipublicæ favorem. adde quæ scripsi ad *l.* 13. *ff. de donat.* 17 Sententia non revocatur judicis subscriptione. *l.* 5. *ff. h. t. l.* 1. *fupr. fent. rescindi non posse.* vide *l.* 45. *ff. de re judic.* 18 Si præles interloquendo, centum verbi gratia, solidos dari justerit, & ni centum intra diem dari fuerint, dari debere duplum vel quadruplum adjecerit, ea potius est comminatio quam sententia. *Synopf. ibid. c.* 98. 19 Lex hæc ad publicos seu tributorum debitores pertinet: eo quippe pertinet dupli vel quadrupli pœna, cuius hæc lege mentio fit: ut offendit lex 18. *C. Theod. de annona & tributis.* Sed & *Debita* vox & *obsequi* in re tributaria propria: de quo in Glossis Theodosianis nostris. Ac nominatim *obsequi* in hac ipsa sp. *d. l.* 18. J. G. 20 Verba comminatoria vim non habent rei judicatæ. vide *l.* 1. *fupr. h. t.* 21 *l.* 2. *fupr. h. t.* 22 Vide *l.* 1. 4. 5. *h. t.*

23 Non omnis vox, non omnis voluntas judicis sententia est: sed ea tantum quæ causa cognita ab ipso judice de libello clarius præscripto literis recitatur.

24 Falsis ex instrumentis, vel testimoniis lata sententia rei judicatæ exceptionem non inducit. *l.* 1. *l.* 3. *ff. h. t.* non nocet non appellanti, *l.* 2. *ff. h. t.* judicati executionem suspendit & soluti petitionem parit. *l.* 4. *ff. h. t.* Paul. 5. *fent.* 5. 8. *ult.* vide Oldend. *cap.* 13. *de fent.* & 63. *de except. l.* 1. 2. 3. *ff. h. t.* 24 *l.* 3. *ff. h. t.* adde *l. pen. fupr. de transact. l.* 35. *ff. de re jud.* falso jurejurando. *l.* 31. *ff. de jurejurando.* falsis allegationibus. vide *l.* 2. *l.* 3. *fupr. fi inter vel eum ater falsis allegationibus excufatus fit.* adde *l.* 75. *ff. de judiciis.* 26 Si judex quasi probato testamento sententiam dixit, & secundum ea testamentum illud falsum deprehensum fuerit: de novo judicium constituitur præscriptione rei judicatæ nihil obstante. *Synopf. ibid. cap.* 113. 27 Aliud est judicem de falsis instrumentis cognovisse, aliud ex falsis instrumentis judicasse. Posteriore, non potest ista sententia non revocatur: sententia ex falsis instrumentis lata revocatur, nisi de falso fit cognitum. 28 Sententia ex falsis instrumentis lata citra appellationem, citra prætorium restitutionem ipso jure rescinditur, *ut hic, Synopf. de cap.* 113. Imo restitutio in integrum est necessaria. *l.* 33. *ff. de re judic.* Solve. Restituto in integrum *de hoc, est* πταλινδικία, ut & *l.* 3. §. 9. *ff. de jure fisci*, non juris amissi redintegratio: qui nihil amisit, non intelligi potest, re judicata ex falsis instrumentis. Quid si ex falsis probationibus sententia lata sit in absentem? in minorem? in fiscum? ipsi jure nulla est. *l. f. Prator. 75. verfic. Marcell. ff. de judiciis. l.* 1. *fupr. h. t. l. unic. infr. de fent. adverf. fifc.* Quid si falsa illa instrumenta, de quibus quæritur, sed infi unius partis fint confecta? ipsi jure nulla est ipsa sententia. *l. fi quis absfuerit.* 29. *ff. ad l. Corn. de falfis.* Falsi quoquo in decreto quolibet quod sententiæ nomine contineri potest: vide Socin. reg. 364. 29 Et est πταλινδικία.

30 Tametsi maxime quis instrumentum falsum in judicio prolatum esse docere possit, non aliter tamen sententiam rescindet, quam si probaverit judicem loquutum illud ipsum instrumentum condemnasse. *Synopf. d. cap.* 193. 31 Vide *l.* 33. *ff. de re judic.* 32 Suspenditur executio rei judicatæ ex falsis instrumentis vel testimoniis. 33 *l.* 1. *l.* 2. *fupr. h. t. l.* 11. *ff. de exceptionib.*

34 Dixi ad *l.* 42. *D.* 2. & 2. *Extra.* 18. 35 Confessus in judicio pro judicato habetur. *Syn. Basil. 9. tit. 2. c. 8. l. 6. 8. 2. ff. h. t. l.* 13. *ff. de non numerata. l.* 26. *ff. de jurejur. l.* 25. *in fin. ff. de probat.* vide Molin. *de usur. n.* 208. An qui fatetur se ad sui delictionem aliquem occidisse, pleno jure fit confessus, vide Petrum Ancharan. 1. *cons.* 40. 36 Sunt tamen interdum justæ causæ, ex quibus licet confessionem revocare. Myning. 1. *observ.* 51. 37 Instrumento a se producto quemque stare cogi in solidum, non pro parte hinc colligit Cynus, cujus sententiæ vide duas exceptiones apud Socin. *reg.* 186.

38 Symmachus in epist. *Quando absentibus atque ignorantibus inter alios gesta nocuerunt?* 39 Gesta solutia. *l.* 1. *ff. h. t.* transactis, divisa donata. *l.* 2. *ff. h. t.* pacta. *l.* 3. *ff. h. t.* 40 Hæc verba *vel judicata* abundant: ad hæc tamen alia referunt, ut *l.* 2. *l. ultim. ff. tit.* 56. *l.* 16. *in fin. ff. qui potiores. l.* 63. *ff. de re judicata. l.* 7. 9. 2. *ff. de accusation.*

41 Acta habita in uno judicio, in alio inter diversas personas non probant, *ut hic, successores & heredes* excipe. *l. fi ate.* 9. *in fin. ff. de except. res judicata.* fed & eos quibus nocet, vel prodesset sententia: adde alias exceptiones *in v. tam literis vestris.* 33. *cum. de testib.* Socin. *reg.* 6. 42 Gesta res inter alios aliis præjudicium non faciunt. *l.* 2. *l.* 3. *ff. h. t. l.* 1. *l.* 26. 8. *de transact. l.* 14. *fupr. de jure dotis. l.* 2. *ult. fupr. quitus rei appell. l.* 2. *ff. de exception. l.* 27. §. 4. *in fin. ff. de pact. l.* 3. *ff. de transactionis. l.* 63. *ff. de re judic. l.* 7. 9. 2. *ff. de accusat.*

rem

1 Coheres solvendo, coheredi non præjudicat. facit *l.* 19. ff. *de locato. l.* 31. *ff. de judiciis.* 2 Unus transactio alteri non nocet. *l.* 1. *l.* 26. *fupr. de transact. l.* 3. *ff. de transaction.* 3 Donator rem donatam cum alio dividens in præjudicium donatarii, nihil agit. 4 Alii heredes, vid. *l.* 17. *fupr. famil.* 5 Fratres fratri non præjudicant, pacifcendo, vel agendo sine mandato.

6 *L.* 11. *C. Theod.* 29. *& L.* 49. *ff.* 1. Symmachus 1. *epist.* Relatio a judicibus fiebat ad Principem: Appellatio vero ab ipsis partibus. 1. 2. 3. *ut hic pendente:* Optatus 1. *Relatio missa est, rescriptum venit:* & 2. *ut de talibus factis ab illius temporis judicibus relatio mitteretur:* adde *Nov.* 125. *c.* 1. Hodie genus id relationis sublatum. *Nov.* 125.

7 Referre qui ad Principem judex cœpit, judicare non potest. *l.* 2. *C. Th. h. t.*

8 Referre qui ad Principem judex cœpit, fi judicaverit, appellari potterit. 9 *Promissa* Hal. Symmachus, *Promissa relatione discedo.* 10 Relatio judicis ad Principem plena esse debet. *l.* 2. 3. *h. t. l.* 15. 3. *tit. proxime:* dixi ad *l.* 1. *in fin. ff. de dilationibus.*

11 Relationis exemplum partibus edi debet. Cur ita? vide *l. h. t.* 12 Intra decem dies. *l.* 1. *C. Th. de appellat.* 13 Refutatorias preces, quæ judicis relationem refutant. Refutatoria etiam dicuntur in *l.* 5. *C. Th. h. t.* adde *l.* 39. *infr. de appellat.*

14 Hoc est, fine dilatione offero. *l.* 6. *in fin. ff. de appellat.* 15 Relatio in causa criminali est permissa. *l.* 3. *C. Theod. h. t.* 16 Plena relatio quid. 17 *Maturitas d. l.* 3. 18 *Refellantur d. l.* 3. 19 *l.* 4. *C. Th. h. t.* 20 Appellatione vel in integrum restitutione pendente, omnia in suo statu manere debent. *l.* 1. 8. *h. t. l.* 6. 9. 1. *in fin. ff. de interdict. & reiicad. Syn. Basil. 8. tit.* 1. *cc. lib.* 6. *tit.* 32. *cap.* 1. adde *l.* 1. 8. *de in integr.* 21 *Auctorum d. l.* 4. 22 Vid. *l. ult.* §. 1. *de appellationib.* fieri itaque debet brevi sermone relatio. 23 Id est, nobili puero.

24 Dixi ad *L.* 49. *D.* 1. adde Nov. 23. 75. 126. 25 *Et panis earum, & consultationibus, in C. Th.* ita legitur 11. *lib.* 30. 26 Quas princeps cum suo conventu & consilio collocatus facere solet. Huiusmodi consultatio συνίλευσις. Septuaginta *Psalm.* 1. vertunt βουλη. vide quæ dixi ad *inscript. l.* 6. 3. *de iufucapione pro emptore.*

27 *Cos. Severus A. dixit*, ita habent veteres, ut in formula legis penultimæ *ff. de his qui in testam. dicuntur, & l.* 3. 3. *ff. de quæstionib.* scripsi: adde *l.* 6. 3. *h. t.* 28 *l.* 3. *fupr. h. t. nam regund.* vide ad hanc legem Cujac. 1. *obf.* 15. adde *l.* 37. *ff. de judiciis, l.* 7. 3. *ad l. Jul. de vi.* 29 Sententiæ rationem infirendam esse hinc colligunt. *l.* 122. *in fin. ff. de verb. obl.* Hinc Servius 10. Æneidos: *Antequam dicatur sententia, ejus præmittitur ratio.* 30 Appellatio vim etiam suam exerit adversus sententiam rescripto Principis accommodatam. *l.* 1. 3. 1. *ff. h. t. l.* 48. *ff. de jure fisci.* vel ita: Appellari potest, etiam fine rescripto Principis. 31 Appellatione interposita suspenditur jurisdictio judicis a quo appellatum est, & ita interim nihil innovandum, *ut hic, & l.* 1. *ff. nihil innovari appellatione interpof.* Cujus sententiæ vide fex exceptiones apud Socinum *reg.* 21. quinque alias vide apud Corsetum *singulari appellat.* adde Ludovicum Romanum *singulari* 161. Cuellianum Cottam *in verbo Appellatio.* adde quæ scripsi ad *l.* 1. *ff. de appellat. recipiendis.* 32 Appellatio sententiam extinguit, invito etiam eo judice qui sententiam pronunciavit. 33 Appellatione interpolita, his in ino statu perdurat. 34 *l.* 1. 3. 2. *ff. de muneribus.* 35 A nominatione duumviri (cui jus est nominare ad munera) appellatur ad præsidem, *ut hic, & l.* 7. *l.* 11. *ff. h. t. l.* 3. *ff. de decur.* vid. Cui. 9. *obf.* 35.

36 Apostolos qui morte præventus intra certum tempus offerre judex non potuit, ab appellationis defertæ pœna exsolvitur. Quid Apostoli, vide *l. un. ff. de libell. dimiff.*

37 *l. 6. 3. ff. pendente appellat. mori intervenerit.* 38 Gerulus hic appellatur. *l.* 29. & 31. *C. Theod. h. t.* cujus verbi meminit perfæpe Sidonius Apollinaris. 39 Judex appellationis non remittit causam definitam ad eum judicem a quo provocatum est. *Nov.* 82. *c.* 13. 40 Judex appellationis its plerumque solet pronunciare, Justo retinere appellatum, aut injuste appellatum, aut justum injustumve appellationem videri. *l.* 21. 8. 2. *l.* 24. *D. h. t. l.* 59. *D. de minoribus. l.* 57. 8. 1. *D. de admin. & peric. tut. l.* 97. *ff. de leg.* 3. *l.* 11. 8. 3. *ff. ad l. Falc. l.* 122. 8. 8. *ff. de verb. oblig. l.* 20. *in fin. ff. de quæstionibus. l.* 2. *in pr. ff. quando appellandi.* videtur & hic mos pronunciandi Imperatoribus fuisse: *An te bene judicata tenere appellasti furens audacia.* Adde Optatum *libro de schismat. Donatift. l.* 7. 7. *unde vel.* 41 Omitta in causis principali, in causam appellationis adduci posfint. *l.* 4. *ff. de temporibus & reparat. appellat.* 42 In judiciis justitia potissimum spectanda. 43 Qui testes producit, expensas administrat. *l.* 11. 8. *de testibus.* vid. *l.* 1. 3. *de fructib. ff. ut expens.* vid. Bellovitan. 2. *practi.* 3. 44 Judex a quo, fi in causa criminali appellatur, rerum transmittere debet ad judicem ad quem, sub fida custodia cum actorum & sententiæ exemplo, & cum libellis dimissoriis. 45 *l.* 7. 3. *quorum appellat. l.* 4. *ff. de appellat. recipiendis.* 46 Inopia fidejussoris reus in custodia retinetur. *l.* 12. *in fin. ff. h. t.* 47 *l.* 19. 3. *h. t.* 48 *l.* 39. §. 1. *ff. h. t.*

49 Pœna injustæ appellationis quinquagintæ libræ argenti. *l.* 5. *in fin. ff. quor. appell.* Goth. Adde *l.* 19. *ff. h. t.* Aut. 50 *l.* 8. §. 11. *ff. quando appell.* 51 Tempus appellandi hodie emendatum est. *Authent. præterea. ff. h. t.* 52 *Nov.* 23. *in pr.*